

adjiciens, ut Episcopus dividens possit pro arbitrio suo etiam in ea specie certam fructuum portionem detrahare à matrice Ecclesia, ut novæ Ecclesiæ Parochiali addicatur, quod sanè intelligendum est, ubi matrix Ecclesia redditibus superaffluat; imò & adjiciens, cogi posse divisam plebem ad ea subministranda, quæ novo Parocho sint necessaria, ubi aliter consuli novæ Parochiæ nequeat. Post editas Gregorii IX. decretales, & post instaurata Interpretum studia, ubi accesserunt Interpretes ad dictum capitulum 3. de Eccles. ædific., passim docere cœperunt, tradi in eo jus singulare, quasi in ea specie concessum Episcopo sit ad divisionem Parochiarum devenire, in cæteris denegatum. Quid ergo? Num ex Interpretum sententia fieri non potuit locus divisioni, ubi causa allegaretur non distantia locorum, sed tantum multiplicati populi? Nosse quidem potuissent, hanc etiam causam idoneam olim peremni disciplina fuisse, etiam si de dividendis Episcopatibus ageretur, can. 50. & 53. caus. 16. quæst. 1. Sed consistentes in una dicti capituli 3. interpretatione non aliam agnoverunt causam divisionis, quam quæ in specie ejusdem rescripti proferebatur. Quicumque aprimè calleat regulas accuratæ interpretationis, diceret, ibi præferri singulare rescriptum, in quo cum Alexander III. responderit juxta principia juris generalis, nihil aliud decernebatur, quam in proposita locorum distantia ideo deveniendum esse ad divisionem, quia divisio futura erat utilis Ecclesiæ, imò & necessaria videbatur; proptereaque nec denegabatur Episcopis similis facultas dividendi, ubi ex aliis adjunctis Ecclesiæ necessitas, vel utilitas erueretur. Diceret insuper, ibi agi de præcepto Alexandri, quo jubebatur Episcopus, ut in proposita specie Ecclesiam divideret; non verò agi de facultate Episcopo concessa in eadem specie, quæ singularis facultas esset, ad alios casus minimè proroganda. Dice-

ret denique, non adeo facilè induci generale interdictum in re semper antiquo jure Episcopis concessa, neque interdictum induci per simplex rescriptum ad unum Episcopum directum, in quo insuper nihil tale interdictum adparet. Video tamen, quid causæ Interpretibus fuerit, quare ita Alexandri rescriptum intra speciem Alexandro propositam continerent. Præ oculis habentes canonem Concilii Lateranensis relatum in cap. 14. de offic. Jud. ordin., agnoverunt ex eo, non permitti divisiones Episcopatum, seu constitutiones plurium Episcoporum ex una fidelis populi multiplicatione, aut varietate; ex quo similem disciplinam in Parochiis recipiendam esse concluderunt. Utinam & in interpretatione hujus capituli 14. ad adjuncta temporum, & locorum respexissent; tum enim cum intellexissent, singularem in eo adparere prudentiam locis, & temporibus accommodatam, uti jam superius observavi in cap. 4. primæ Dissertationis, tum etiam cautiore facti fuissent, ne ex eo canone generalem disciplinam educerent; eove minus produxissent ad Parochorum personas, quæ de Episcopis statuta fuerant. Amplius progressi fuerunt Interpretes in conspectu dicti capituli 3. de Eccles. ædific. Observaverunt ipsi, Alexandrum III. morem gessisse divisioni Parochialis Ecclesiæ, quia Parochiani in certa villa constituti non possent accedere ob loci distantiam, & ob viarum asperitatem sine magna difficultate. Hinc causam dividendæ Parochiæ in eadem magna difficultate constituerunt, si enim gravis esset difficultas, non tamen magna, & digna Episcopali miseratione, ac indulgentia, illam non satis idoneam causam esse arbitrati fuerunt; quamquam an magna dicenda sit, an minus, istud iudicium prudentiæ Episcopi reservaverint. Quidquid tamen sit de hoc interpretationum genere, vulgò, & passim id receptum fuit: quid enim non operantur in foro traditiones Interpretum, ubi præ-

scr-

sertim vulgares sunt, atque communes? Emergit hinc consuetudo, juxta quam ex una causa adaucti populi non valeat Ordinarius ad Parochiarum divisionem procedere; quod hodie certum est, postquam consuetudo visa fuit probata in Concilio Tridentino dicto cap. 4. sess. 21. de Ref., ubi statutum fuit, ut, quoties populus ita numero excreverit, ut unus Rector non possit sufficere ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui divino peragendo, Episcopi cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. Factum hinc est, ut divisio Parochiarum inter res odiosas à Pragmaticis recenseatur, ad quam propterea non nisi extra ordinem deveniri possit, nimirum non nisi emergentibus causis expressis in dicto cap. 3. de Eccl. ædific., & quidem stricta semper accedente interpretatione, adeo ut etiam si difficultas itineris, & viarum magna sit, aliàs autem alio remedio occurrere possit, putà erigendo Ecclesiam subsidiariam, & in ea constituendo Sacerdotem Parochi adjutorem, non facilè ad Ecclesiæ divisionem deveniatur. Dicta hæc sint non eo animo, ut hæc disciplina à me improbetur; novi enim, præsertim hodie interesse, ne facilè Parochiæ dividantur, quia, ut plurimum ex divisione Parochiarum proficisci solent contentiones, dissidia, & schismata populorum, unde consuetudo hæc æquitate maxima innititur; sed dicta sint eo animo, ut indicetur, disciplinam istam non jure scripto definitam fuisse; ut etiam indicetur, qua ratione inducta fuerit, & moribus confirmata.

Nonnulla quoque singularia constituta sunt de causis unionis beneficiorum. Primum spectat uniores beneficiorum, quas Episcopus faceret mensæ suæ; alterum uniones, quas Episcopus faceret mensæ Capituli; postremum uniones faciendas gratia Seminariorum. Si genera-

le jus spectemus, nulla dubitatio est, quin Episcopus valeat uniones facere beneficiorum, ubi tenues redditus unius beneficii sint, & nequeat ex eo beneficio Ecclesiasticus minister sustentari, cap. 36. de præbend., & si tenues sint Capituli redditus, item tenues redditus mensæ Episcopalis, hæc ipsa causa eo magis idonea adparebit ad uniendum, quo opportunius est in Ecclesia ali majores ministros, quales Episcopi sunt, & Canonici in Cathedrali Ecclesia unum corpus cum Episcopo constituentes. Sed suspicio fraudis, cui occasionem dederunt minus providæ quorundam uniones, salubrem canonum providentiam postulavit. Quando enim ex generali juris dispositione uniones beneficiorum ab Episcopo fiunt consentiente Capitulo, aliquando evenit, ut Episcopi, vel Capitula prætexerent causas imminutionis suorum reddituum, ut mensæ suæ beneficia unirent, quando aliàs redditus sufficientes haberent; incongruum autem videbatur, ut ipse in re sua de causa cognoscerent, & auctoritatem interponerent. Hæc ratio est, quare Clemens V. statuerit, ut Capitulum, & Episcopus de causa cognoscant, cognitamque causam probent, ubi unire voluerint certam Ecclesiam, vel beneficium alteri dignitati, vel beneficio; si tamen agatur de unione faciendæ mensæ Episcopali, vel Capitulo, unirendi auctoritate & Episcopus, & Capitulum destituerentur, & si ad unionem processerint, unio nihilominus irrita habeatur, Clement. 2. de reb. Eccles. non alien. Hanc tamen. Clementis V. constitutionem ita interpretaberis ex Concilio Tridentino sess. 24. de Ref. cap. 15., ut nihilominus liceat Episcopo cum consensu Capituli alia beneficia, dummodò non regularia, unire singularibus præbendis, quarum redditus admodum sint imminuti; aut etiam, si ea ratione consuli nequeat, nonnullas præbendas suprimere, quarum redditus aliis præbendis uniantur; cum aliud sit augere redditus capitulares, qua in specie Capitulum Episco-

po

po consentiens in re sua auctoritatem præstare videretur contra laudatam Clementinam constitutionem; aliud sit certas, & singulares Præbendas à redditibus Capitularibus disjunctas augere. De Seminariis Clericorum expressa extat Tridentina constitutio in cap. 18. sess. 23. de Ref. Agnita fuit à Tridentinis Patribus maxima utilitas in erigendis Seminariis Clericorum; quamobrem cum decernendum esset, ut universi ferè Episcopi in singulis diocæsis Seminariis erigerent, nec aliter effectum habere dispositio posset, quam si sufficientes redditus adsignarentur, cautum fuit, ut certa beneficia simplicia, vel præstimonialia, seu præstimonialia portiones, ubi opus esset, Seminario eidem per Episcopos uniarentur. Ad avertendas autem quascumque fraudes, quæ in hac unione admitti quandoquæ possent, singularis forma fuit eidem unioni præstituta. Nimirum, ut locus unioni fiat, necessitas uniendi adesse debet, neque enim sufficeret sola causa commodioris Clericorum sustentationis. Item quatuor viri à Concilio deputati, id est duo de gremio Capituli, duo alij de gremio Cleri intervenient, quorum vel consensum Episcopus sequetur, vel saltem consilium petet. Præterea non primùm ad hujusmodi unionem deveniendum erit, quam præcesserit taxatio, seu dismembratio fructuum Ecclesiæ Cathedralis, & aliorum beneficiorum in Ecclesia constitutorum, quam taxationem jam Concilium ipsum Tridentinum induxit, deinde in certam formam redegit Benedictus XIII. in sua constitutione *Credita nobis*, anni 1725. 7. idus Maii data ad Episcopos Italiae, atque Insularum adjacentium. Denique nec ad eam unionem devenietur, antequam Seminarium sit erectum, videlicet admissi in eo jam sint adolescentes, constitutique Rectores. Videantur ad hanc rem, quæ tradidit de Fargna parte 5. de jurepatron. can. 6.

Quemadmodum in civili hominum societate, ita & in Christiana commu-

nione nihil æquius est, nihil ad res benè gerendas opportunius, quam ut suis bonos singulis quibusque servetur. Quando verò ad duo summa capita referri honores potest, primò ad jurisdictionem, & potestatem, secundò ad jura, semper intendendum est, ut qui certa jurisdictione pollent, eadem uti sinantur, quousque aliud lege cautum non adpareat, & qui certis juribus gaudent, eisdem uti pergant. Hæc ipsa principia suum locum quoque habent in unione, ac divisione beneficiorum; ita enim ad has deveniendum est, ut is uniat, vel dividat, qui ordinaria pollet potestate, quò pertinet jurisdictio; deinde ut iis intervenientibus uniatur, vel dividatur, quorum interesse potest, quò pertinet tuitio jurium singulorum. Perspicua est Cælestini III. doctrina in cap. 8. de excess. Prælat., ex qua liqueat, ad quosnam beneficiorum uniendorum, vel dividendorum facultas pertineat ibi: *Sicut unire Episcopatus, atque potestati subjicere aliena, ad summum Pontificem pertinere dignoscitur, ita Episcopi est Ecclesiarum suæ diocæsis unio, & subjectio earundem.* Itaque duobus veluti principiis tota res innititur. Primum principium est, unionem, vel divisionem Episcopatum Pontifici Maximo reservari. Imò & ego adjicio, reservari uniones illas Pontifici Maximo, quæ singulari jure fieri ab Episcopis nequeunt. Ut exemplum tradam, Episcopi, ne consensu quidem Capituli accedente, nequeunt unire beneficia minora mensæ vel Episcopali, vel Capitulari, uti superius observandum fuit ex Clem. 2. de reb. Eccles. non alien. Quòd si certa adjuncta suadeant hujus generis uniones, declaravit Concilium Tridentinum in sess. 24. de Ref. cap. 13., causam esse in Provinciali Synodo examinandam, atque apud Romanum Antistitem referendam, ut ipse, cum opportunum duxerit, ad unionem deveniat. Alterum principium est, unionem, vel divisionem beneficiorum inferiorum, quæ in diocæsi sunt, speciem esse ordinariæ Episcoporum jurisdictionis, can. 3. caus. 10. quæst. 3., cap.

cap. 36. de præbend., cap. 7. de donat., Concil. Trident. sess. 7. de Ref. cap. 6. Huic generali Episcoporum potestati certæ exceptiones adjectæ fuerunt. Primùm denegatum est Episcopis beneficia regularia unire præbendis Canonicorum etiam Cathedralium, vel Collegiatarum insignium, aut etiam Parochialibus Ecclesiis, sess. 24. de Ref. cap. 13. & 15. Præterea cautum fuit, ne Parochiales Ecclesiæ unirentur ab Episcopis, aut Monasteriis, aut Abbatis, seu dignitatibus, sive præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel etiam Ecclesiæ Collegiatae, sive aliis simplicibus beneficiis, aut Hospitalibus, vel Militiis, dicto capite 13. sess. 24. Tridentini Concilii; quæ tamen decreta spectant uniones post idem Concilium faciendas, non uniones ante Concilium legitime factas. De beneficiis exemptis nulla est dubitatio, quin eadem nequeant ab Episcopis dividi, vel uniri; cum enim unio actus sit jurisdictionis, sicut & divisio, aliàs autem beneficia exempta non subsint Episcoporum jurisdictioni, frustra de hac uniendi, vel dividendi potestate disputaretur. Quid verò, si beneficia non quidem exempta essent sed collationi Sedis Apostolicæ, vel reservata, vel affecta proponerentur? Si seclusis quibuscumque præjudiciis, semotaque quacumque fraude quæstio, fiat, non dubitant nostri, unionem adhuc, vel divisionem ab Ordinariis fieri posse, propterea quòd unio à collatione distinguatur, & reservata collatione non ideo censeatur reservata unio, vel divisio; eadem ratione, qua si de beneficiis ageretur, quorum collatio esset ad superiorem Prælatum devoluta; quo casu nihilominus uniri ab Ordinario possunt. Ad rem scribit Barbosa in lib. 3. juris universi cap. 16. num. 31., alio jure devolvi beneficia, alio uniri, hac adjecta ratione: *Devolutio enim concernit titulum, impeditque, ne Episcopus illud in titulum dare valeat, unio autem respicit proprietatem.* Reverà Tridentinum Concilium id expressè declaravit, sive in cap. 5. sess. 21. de Reform., sive in cap. 18.

sess. 23. de Ref., sive in cap. 15. sess. 24. de Reform., quibus in locis, dum urgerentur Episcopi certis in casibus ad unienda beneficia, adjectum est, nullam reservationem obesse unioni valere. Equidem non ignoro, apud Romanos Magistratus aliquando receptum fuisse, ut decreta Concilii Tridentini modò laudata singularia haberentur, quæ nimirum continerentur intra species unionum, de quibus ibi fit mentio, nullo autem modo ad alias unionum causas referrentur. Sic traditum fuit Episcopum non posse unire beneficia reservata, aut Pœnitentiariæ, aut Theologali à se erectæ juxta decreta Tridentini Concilii sess. 5. cap. 1., & sess. 24. cap. 8. de Reform., propterea quòd in his decretis non habetur expressa mentio de beneficiis reservatis, quemadmodum expressa mentio facta fuit in aliis speciebus, nimirum dicti capitis 5. sess. 21., dicti capitis 18. sess. 23., & dicti capitis 15. sess. 24., quòd refert Rigantius in Commentario ad regulam 13. Cancellariæ num. 163., & sequentibus. Verùm istæ observationes non adeo inspecta generali jurisprudentia valent, ut cum generalibus interpretationis regulis consonent; ac, si probentur, auctoritate accedente potius novam legem inducunt, quam legem explicent Tridentinam. Siquidem Tridentini Patres æquè in certis decretis dicere potuerunt, etiam ad reservata beneficia unionem extendi, quasi ut clarius exprimeretur, quòd jam lege continebatur, ac dicere potuerunt, extendi ad ea beneficia unionem, quasi, si nihil tale diceretur, nulla Episcopis competeret uniendi potestas. Ut alterutrum definitur, id pendet ex eo, an reservatio collationis unionem excludat, quòd nemo facile probabit, cum aliud sit unire, aliud conferre. Igitur concessa expressè unione gratia erigendæ vel Pœnitentiariæ, vel Theologalis, non opus erat expressè adjectum, unionem referri etiam ad beneficia reservata. Quòd si Tridentini Patres in aliis speciebus id expressè adje-

cerunt, argumentum est, non singularis facultatis Episcopo concessæ, sed clarioris significationis illius juris, quod tacite inerat. Quamobrem laudanda est Benedicti XIII. prudentia, qui, quasi insuper habitis Romanorum Magistratum decretis, in sua constitutione *Pastoralis* anni 1725. 14. Kal. Junii, voluit etiam uniri posse & Pœnitentiariæ, & Theologali beneficia reservata; quæ constitutio licet edita sit respectu Italiæ, & Insularum adjacentium, optandum est, ut facilè ad alias Provincias traducatur. Utinam autem Episcopi universi in unionibus beneficiorum reservatorum, quæ fuerunt expressè in Tridentino Concilio probatæ, nullam unquam fraudem admisissent! In dicto cap. 5. sess. 21. generaliter in casibus omnibus abs jure permissis probatum fuit, ut Episcopi possent vel Parochiales Ecclesias, vel alia beneficia curatis beneficiis nulla obstante reservatione unire. In dicto cap. 5. sess. 24. probatæ fuerunt uniones etiam reservatorum beneficiorum, ubi de augendis tenuibus præbendis ageretur; & in dicto cap. 18. sess. 23. cautum fuit, ut gratia Seminariorum unirentur beneficia quædam, etiam reservata. At Episcopi quidam absoluto Concilio, cum certa beneficia vacarent, quæ ad sui liberam collationem pertinebant, Concilii voto insuper habito ab unione utuntur vel necessaria, vel maximè utili abstinebant, ac tùm demùm ad unionem deveniebant, cum vacaret beneficium Sedi Apostolicæ reservatum; quasi de publica utilitate solliciti tantùm viderentur eo casu, quo nihil eorum privatim intererat. Id conquesti fuerunt Pontifices Maximi Pius V., & Gregorius XIII., qui proinde ad evitandas fraudes decreverunt, ut tùm demùm valerent uniones reservatorum beneficiorum gratia Seminariorum, cum ante vacationes beneficiorum factæ fuissent. Hæc decreta refert Garzias de beneficiis parte 12. cap. 12. num. 102. & seq. Post hæc ad novas artes confugerunt, qui fraudi studere cœperant. Nimirum oculos conjici-

ebant in ea beneficia, quæ, quocumque tempore vacavissent, reservata erant collationi Sedis Apostolicæ, eademque etiam ante vacationem uniebant, ut sic suæ collationis beneficia, cui placeret, conferrent. Id vetuit Clemens VIII. anno 1602. die 16. Februar., quemadmodum refert Fagnanus ad dictum cap. *Sicut unire de excess. Prælat. num. 37.*, atque ex eo tempore, ubi ea decreta publicata sunt, Episcopi abstinere debuerunt à beneficiis uniendis reservatis, quæ vel jam vacarent, vel ante vacationem reservata erant, perpetua, sive certa reservatione. In iis adjunctis quæstio emerit de Cardinalibus, aut aliis Episcopis, qui indultum impetraverant conferendi beneficia Sedi Apostolicæ reservata. Proponebant isti, se nullam fraudem admittere, sive quòd generaliter omnes beneficiorum, quæ inituri essent, liberam ex indulto collationem haberent; sive quòd qui Cardinales erant, non censerentur in commemoratis decretis comprehensi. Hanc quæstionem auctoritate sua derimendam censuit Urbanus VIII. in sua constitutione *Quamvis*, quam loco citato num. 49. exhibet integram Fagnanus. Itaque ubi recepta sunt omnia ista decreta, distingui solet inter beneficia reservata jam vacantia, & non vacantia. Quoties jam vacent, sublata est Episcopus uniendi facultas. Quòd si necdum vacent, iterum distingui solet inter beneficia, quæ habent certam, & personalem reservationem, & quibus vacantibus certò scitur, collationem ad Pontificem Maximum pertinere, tum verò etiam Episcopi abstinere debent ab unione; atque inter beneficia, quæ non habent certam reservationem, veluti eam, quæ dicuntur ex causa temporis omninò pendens ab eventu; tum verò unire Episcopi poterunt, unione semper subsistente, etiam si deinde vacaverint mense reservato, cum ad hanc speciem non pertineant memorata decreta. Hanc distinctionem communem appellat Rigantius ad regulam 13. Cancellariæ num. 110. Tantùm observat

Car.

Cardinalis de Luca, adhuc prohiberi unionem in ea specie, qua Episcopus velit unire beneficium, cujus vacatio proxima est, & quidem in mense reservato; quasi hæc species fraudem quandam redoleat, proptereaque, si non verbis, saltem sententiam dictorum decretorum contineatur. Ita ille de beneficiis disc. 6. num. 7.

Jam verò modos, & formas, ac solemnitates illas investigemus, quæ necessariæ sunt, ut ritè, recteque Ordinarii ad beneficiorum unionem, vel divisionem deveniant. Vix memoro vulgatam illam, & necessariam solemnitatem expetendi consensus Capituli, juxta generalem Juris Ecclesiastici disciplinam, cap. 2. & sequentibus de his, quæ fiunt à Prælatibus. Tantùm dicam, in unione, quæ fiat gratia Seminariorum ex sæpè laudato Tridentino decreto, hanc remissam fuisse solemnitatem, vice cujus alia solemnitas substituta est, ut nimirum interveniant quatuor deputati, duo de Capitulo, & totidem de Clero, de quibus conceptum est cap. 18. sess. 23. de Ref. Præterea, si de beneficiis patronatus agatur, expectandus erit patroni consensus; imò, si plures patroni sint, nec majoris quidem patris consensus sufficiet, sed omnes ad unum usque consentire oportebit, argumento capituli 7. de donatione, & capituli 15. sess. 24. de Ref. in Concilio Tridentino. Huc pertinet, quod definitum legitur apud Fabrum in codice lib. 1. tit. 2. def. 48., ubi postquam traditum est, sine consensu patroni laici unionem factam non valere, ita subjicitur. *Quòd si Patronus sit Clericus, nemo dubitat, quin Summus Pontifex potestate ordinaria derogare possit juripatronatus Clericorum; etsi autem derogare etiam potest, quum vult, juripatronatus laicorum pro ea vice; fallit tamen hoc in unionibus, quia perpetuò durant. Sed & Procuratorem Principis generalem vocari, & adiri necesse est, non solum si juspatronatus ad Principem pertineat, quod in dubio præsumendum est, cum beneficium habeat dignitatem, sed etiam si ad alium, nempe ratione publica*

utilitatis, & ad hoc ipsum dispiciendum, an publicè utilis futura sit unio, an inutilis, tum pro tuenda Principis auctoritate, ad quam sanè pertinet, ut beneficiorum omnium, quæ in territorio sunt, protector, & conservator existimetur; unde illud etiam est, quod de beneficiorum possessione soli judices Principes cognoscunt. Itaque si non vocato Procuratore generali unio facta sit, potest & solet ille ab ea, tanquam ab abusu provocare, semperque ea provocatio admittitur, etiam post centum annos, quia unio semper, & perpetuò gravat. Itaque generaliter vocandi erunt ii omnes, quorum interest, uti expressè docet Concilium Tridentinum in cap. 6. sess. 7. de Ref. Interest autem maximè illorum, qui possident beneficia, de quorum unione, vel divisione agitur, quamobrem & ipsi vocandi erunt. Sic in integro canone Carthaginensis Concilii canone 50. caus. 16. quæst. 1. dicitur, ad divisionem Episcopatus procedi posse *voluntate ejus, in cujus potestate est diæcesis constituta*; quamquam aliquando deveniri ad divisionem possit, non quidem non vocato beneficii possessore, sed eo non consentiente; quoties nimirum possessor vocatus nullas alleget, ac probet æquas causas, quare ad divisionem non sit deveniendum; alias autem utilitas, vel necessitas Ecclesiæ divisionem efflagitet, cap. 3. in fine de Eccles. ædific. Eadem ratio erit de unione, cujus causa vocandi erunt utriusque beneficii possessores, ut, si quas fortè causas habent, propter quas deveniendum non sit ad unionem, discutendas proponant, ita ut, si legitimæ sint, ab unione abstinatur, si improbables, nihilominus ad unionem Episcopus progrediatur. Qua tamen in specie unio statim fieri intelligitur, sed unionis effectus tùm demùm locum habebit, cum alterutrum beneficium vacabit, ne illud sequatur absurdum, ut vel duo Clerici unum, idemque beneficium possideant, vel alteruter beneficiarius suo beneficio spoliatur, cap. 4. de donationibus, quod & insinuaverunt Tridentini Patres in cap. 5. sess. 21. de Ref. caventes, ut non

N 2

ali-

aliter deveniretur ad beneficiorum unionem, quam sine præjudicio obtinentium. Huc pertinet Clementina 2. de reb. Eccles. non alien., ubi duo definiuntur. Primum est, vacante Ecclesia, vel beneficio, unionem fieri ab Episcopo posse, etiam nullo constituto defensore ejusdem Ecclesiae, vel beneficii vacantis. Id verum est in quacumque unionis specie; etenim etiam tempore vacationis Ecclesiae, vel beneficii semper adest ordinarius defensor Ecclesiarum, & Beneficiorum omnium diœcesanorum, nimirum Episcopus, cui non opus est alium ordinem defensorem adungere. Aliud sanè viget in unionem Cathedralis Ecclesiae vacantis, quæ unio ideo dicitur non valere, quia Ecclesia defensore ordinario caret, in cap. 1. ne sede vacante. Alterum est, Ecclesia, vel beneficio non vacante, adhuc sustineri unionem, etiam si rector Ecclesiae, vel beneficii non fuerit vocatus. Id ego puto locum tantum habere in unionem accessoria, vel subjectiva, non autem in unionem vel extinctivam, vel translativam tituli; propterea quod in unionem accessoria, vel subjectiva aut nihil aut parum rectoris interesse possit, aliàs in unionem extinctivam, vel translativam tituli multum rectoris ejusdem interesse videatur. Singularia quædam constituta sunt in Tridentino Concilio causa unionis beneficiorum gratia Seminarii, dicto cap. 18. sess. 23. de Ref. Primum remissa fuit Episcopo necessitas expetendi consilium, vel consensum Capituli, aliaque in locum istius subrogata est solemnitas, nimirum expetendi consilium, vel consensum quatuor deputatorum, quorum duo à Capitulo, duo alii à Clero nominandi sunt. Secundò unionem beneficiorum præcedere debet taxatio, ex qua beneficiarii omnes, ne ipso quidem excluso Episcopo, concurrant collatione facta partis fructuum ad Seminarium erigendum, alendosque eos, qui in Seminarium sint recipiendi, juxta constitutionem Benedicti XIII. superius commemoratam. Tertiò non fieri potest unio, antequam Se-

minarium omninò sit erectum, quemadmodum etiam superius observandum fuit. Quartò unio ista fieri debet aliquot tantum beneficiorum; neque enim aut omnia, aut numero plurima diœcesana beneficia uniri valerent, uti manifestè liquet ex verbis Tridentini Concilii. Quintò denique hæc unio non nisi in subsidium faciendâ est, nimirum ubi aliàs erectioni Seminarii locus esse non posset; eamque ob rem unio etiam secuta, eadem unio rescindenda erit, quoties aliàs Seminarium ea adquirat, quæ eidem sufficientiant ad alendos adolescentes, atque excolendos.

Unio, ac divisio semel legitimè facta variis de causis rescindi potest; imò cum facilis sit uniuscujusque rei ad sua principia regressus, revocatio in pristinum beneficii, vel Ecclesiae statum, plurimum est adjuvanda. Causæ rescissionis sunt, primùm si ea cesset ratio, propter quam fuit olim ad divisionem, vel unionem deveniendum, uti tradit Rebuffus in praxi beneficiaria de unionis revocatione numero 1. & 2. Hinc ex. gr. si unio Ecclesiarum facta fuerit ob inopiam fidelium, numero etiam pauciorum, adauctis illorum facultatibus, & numero, unio rescindetur, iterumque ad duas erigendas Ecclesias devenietur. Secundò, si nova emergant adjuncta, unde unio, vel divisio rescindenda videatur, nimirum si facta unio, vel divisio olim utilis, deinde esse cœperit perniciofa. Regula enim est, non posse retineri in detrimentum Ecclesiae, quod ipsius gratia inductum fuerat, ac probatum, argumento capituli 61. de regular. jur. in 6. Hinc quoties per unionem factam dissolvi religio videretur, eleemosyna, & hospitalitas tolleretur, unionem revocari debere, definivit Innocentius III. in cap. 1. ne sede vac. Cæterum observandum generaliter est, ea, quæ dixi custodienda in faciendis unionibus, vel divisionibus, sive quoad auctoritatem Episcoporum, sive quoad solemnitates, servanda etiam ferè omnia esse in eisdem unionibus, vel divi-

sio-

sionibus rescindendis ex notissima regula, quæ docet, unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum est, cap. 1. de reg. juris. Denique observandum est ex regula 13. Cancellariæ solere Pontifices Maximos tempore suæ inaugurationis revocare omnes uniones, ac divisiones vel à suis prædecessoribus, vel ab aliis factas, nondum tamen effectum suum sortitas, nisi factæ fuerint auctoritate Concilii Tridentini, vel pro fundatione, seu dotatione, argumento, vel conservatio-

ne Collegiorum, & aliorum piorum, & religiosorum locorum ad fidei Catholicæ defensionem, & propagationem, bonarumque artium cultum institutorum. Secuti sunt in hac parte Pontifices Maximi Tridentini Concilii prudentiam, juxta quam non adeo facilè probari potuerunt uniones, vel divisiones factæ, argumento cap. 6. sess. 7. de Ref. Qui plura desiderat ad interpretationem laudatæ Regulæ Cancellariæ, apud Pragmaticos facilè inveniet.



DISSERTATIO QUARTA DE JURIBUS PATRONORUM.

Huc referendus est titulus 38. lib. 3.

CAPUT I.

Quid sit Juspatronatus.



Etera Romanorum jura Patroni nomine eum appellaverunt, qui servum manumisisset; atque ita juspatronatus esse dixerunt illud, quod manumissoribus, eorumque filiis competeat. Latini Scriptores ut plurimum nomine Patroni usi sunt ad significandum defensorem, vel provinciam, vel civitatis, vel singularis alicujus causæ. Aliter ecclesiasticorum monumentorum auctores, qui præsertim post duodecimum Ecclesiae sæculum scripsere; nimirum Patronos nominaverunt fundatores Ecclesiarum, aut beneficiorum, imò etiam illos, qui à fundatoribus causam haberent, quemadmodum jus eisdem competens nominaverunt juspatronatus. Sed præterea aut ad idem, aut ad simile jus significandum alia invecata jam pridem fuerunt nomina, qualia sunt advo-

catia, & advocatorum, vicedominorum, custodum, & *Guardias* habentium. Advocatiam aliquando, & juspatronatus, quemadmodum advocatorum, & patronorum nomina promiseuè sumpta fuisse, non ignoro, cap. 6. & 24. de jurepatron., aliquando tamen patroni ab advocatis distinguebantur, can. 9. eod. tit., can. 1. caus. 17. quæst. 2. Siquidem propriè patronus appellabatur, qui omnibus juribus gauderet fundatori decretis, iisdemque oneribus, quibus fundator suberat, subjaceret; advocatus verò, qui tantum patrocínio suo tueretur Ecclesias, & Ecclesiarum bona, etsi nec Ecclesias fundavisset, nec bona donasset, argumento dicti capituli 9. de jurepatron., quamquam ex eo, quod fundatores, & fundatorum successores identidem tuerentur Ecclesias à se erectas, ideo etiam advocati earundem Ecclesiarum appella-